



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 66. Universa Hollandia Gubernatrici subdita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](#)

siæ Orientalis urbem ad Amisiæ flumi- Sæcul. XVI.  
A.C. 1567.  
nis ostium sitam appellit: sed ibidem  
parum honorifice suscepimus, Bremam in  
Vestphalia contendit, atque inde mu-  
tata iterum sede incertus animi pariter,  
ac loci, seque omnium ludibrio exponi  
indignatus, tandem ad Comitatum  
Schauemburgum in Germania auffugit,  
ubi cum copias aliquot contrahere para-  
ret, repentino morbo correptus emota  
furiis mente infelicem animam exha-  
lavit.

## §. LXVI.

*Universa Hollandia Gubernatrici  
subdita.*

Brederodi fugam subsecuta est univer- Strad. l.c.  
sæ Hollandiæ deditio, præprimis  
enim Viannenses ablegatis Deputatis  
seditionis veniam petebant, ac militare  
præsidium deposcebant: ast tum eis-  
dem utrumque fuit denegatum, quippe  
in Regis adventum dilata est venia, pla-  
cuitque Senatui, ut Vianna mœnibus  
nudaretur, arx vero a Brederodo contra  
Gubernaticis imperium exstructa ever-  
teretur. Præterea Amstelodamum,  
Lugdunum Batavorum, Harleum,  
Delphia, ceteræque urbes ultro præsi-  
dia partim a Megano Comite, partim  
a Norcarmio accepere, nec minus idem  
Middelburgi, aliisque Zeelandiæ urbi-  
bus,

Sæcul. XVI. bus, necnon Groningæ, Daventriæ,  
A.C. 1567. totaque in Frisia factum. Denique  
 nulla per Belgium urbs, oppidumve  
 nullum, nulla uspiam arx, aut pagus  
 fuit, qui certatim ejectis hæresum ma-  
 gistris, ac seditionum incentoribus non  
 feso Regis arbitrio, clementiæque tra-  
 diderit.

Interdicebantur etiam penitus Al-  
 denardæ hæretorum conciones, ut  
 vero Protestantes Brugæ conventus suos  
 agere prohiberentur, ad illum locum,  
 ubi ejusmodi sermones fieri confue-  
 rat, quidam fuere deputati, qui adul-  
 terati Evangelii Præconi præciperet, ut  
 altera die coram Magistratu compare-  
 ret: verum hic Ministellus adeo non his  
 jussis parebat, ut etiam fuga sibi con-  
 sulere properaret. Paulo post alias  
 quidam, qui violata Principis lege, ac  
 Magistratus interdicto publice declama-  
 re ausus fuerat, carceri dabatur, quæ  
 severitas tantum Ministris timorem in-  
 cufferat, ut imposterum a concionibus  
 omnibus abstinerent. Præterea omnia  
 tempa ubique fuere reparata, necnon  
 priscæ constitutiones circa Religionem  
 innovatae, ac parvuli quoque, qui Pro-  
 testantium ritu fuere baptizati, partim  
 ad Matrum conscientias ab anxietati-  
 bus liberandas rursus facro fonte tinge-  
 bantur, partim id siebat, quia debita  
 ma-

materia, & forma ab Ecclesia præscri- Sæcul. XVI.  
pta forte non fuit adhibita. Denique A.C. 1567.  
Fana Protestantum magnifice, quan-  
tum per temporis angustias licuit, ex-  
structa dejiciuntur, tanta populorum in  
id festinantium contentione, ut Gan-  
davi, nec quidem penitus evoluto unius  
horæ spatio Lutheranum templum sane  
peramplum solo æquatum sit.

### §. LXVII.

#### *Gubernatricis anxietas ob plurium di- scissum e Belgio.*

In tantæ fælicitatis, ac prosperi succes-  
sus cumulo nonisi una res Guberna-  
tricem non mediocriter angebat, quod  
scilicet Belgarum plurimos videret, non  
impetrata præteriorum venia, ac ven-  
turi ex Hispania exercitus fama percul-  
los alio commigrare quotidie, ingenti-  
que damno civitatum, ad finitimos po-  
pulos opificia, & mercaturas, atque  
adeo lucra transferre: idcirco Regem  
sæpius admonuerat, ut aut ipsi hanc  
facultatem condonandi, componendi-  
que omnia tribueret, aut potius ipse,  
non tamen adscita ab armis formidine,  
sed innata clementia, in provincias  
suas jam pacatas, jamque obsequio  
promptas adveniret, ubi erga cunctos  
misericordem se exhibeat, ac potius be-

*Hist. Eccles. Tom. XLVIII. I ni-*